

Disput. 134. P. Fragoſus num. 62. Boſſius num. 81. alios congerens. In teſtamento militis, de quo P. Molina Diſput. 129. apud quem alij. P. Fragoſus num. 104. Diana Reſolut. 47. cum Ferdinando Vaſquio & Hunnio, Boſſius num. 78. cum alijs: & Titul. 11. num. 4. & eſſe eandem rationem tempore peſtis, ſunt qui cenſeant apud P. Molinam Diſput. 127. §. De iure communi, & Dianam Reſol. 35. quod alijs citatis tenet Boſſius num. 70. & ſeqq. & præſertim num. 75. qui & de peregrinis citato num. 78. Quid ergo mirum, ſi duo Indi pro Indorum teſtamento in pari neceſſitate ſufficiant, aut etiam ubi ratio ſimilis videtur militare, cum etiam minor ſit, debeat reparari ſufficiens, quandoquidem omnium maximè priuilegiati compertuntur.

168 Dico ſecundò. Indi degentes in oppidis Hiſpanorum, ubi & Tabellio, & teſtes legitimi ſuppentur, debent iuxta leges regni teſtari. Sic vſu receptum, licet Dom. Solorzano ſuprà affirmet ubique conſuetudinem inoleuiſſe vt Indi modo explicato teſtentur, neque de ciuitatum incolis quidquam diuerſum aſſeueret. Et ratio quidem ab eo adducta ita tenendum inſinuat, dum pro eatenus ſolemnitate multam Indorum ſimplicitatem allegat, quæ quidem ubique videtur ſuffragari. Addit & frequentem ſcribentium & idoneorum teſtium defectum: quod quidem non arguit aliter dicendum, quando & ſcriptores & copia teſtium haberi facile poſſunt: ſed frequentem illam rationem in cauſa fuiſſe vt generalis illis facultas ad teſtandum modo dicto tribueretur: quia res eſſet multis dubijs, & ita etiam litibus obnoxia, ſi in vno loco hoc modo, & in alio aliter deberent illi teſtari. Cum etiam frequenter accidat vt in oppidis etiam Hiſpanorum qui pro eis ſcribat non ita opportunè accedat, neque teſtes valeant aduocari. Et quod ratione loci licet, etiam licet ratione impedimenti, iuxta ea, quæ ex alijs habet Boſſius citato Titulo 9. num. 111. & eſt iuxta dicta ab ipſo num. 61. & 62. & de militibus Titul. 11. num. 32. Ideo verosimile omnino videtur quod à Dom. Solorzano dicitur, eſſe generaliter accipiendum. Quod ſi Indi more Hiſpanorum in eorum oppidis læpè teſtentur, id non tollit quin aliter factum debeat à Regijs iudicibus, & etiam in foro conſcientiæ ſuſtineri.

169 Neque obſtat ſi obiciat Ruſticum in ciuitate teſtamentem, cuius eſt factus incola, debere cum ea, quæ ciues alij, ſolemnitate teſtari, licet dum iure ageret minor ſolemnitas pro illius teſtamento ſufficeret: eſt rure teſtatus ſit, eius teſtamentum non valebit, ſi moriatur intra annum in ciuitate, vt cum alijs tenet P. Fragoſus num. 133. eam afferens rationem ex L. Titia. 87. §. Iſturus. D. de legatis 2. quod cauſa priuilegij ceſſat, priuilegium etiam ceſſat. Reſpondeo enim pro Ruſtico quidem domicilium mutante nullum extare priuilegium, quia cum ciuis ſit, mores ciuium haurit, & licet ſimplicioris ingenij ſit, id non intereſt, quia aliàs in pluribus ciuitatum incolis deberet titulus idem attendi: cum ſit certum in ciuitatibus multos ſimplices & bardos, ac ruſtiores ipſis ruſticis inueniri: quod eſſet ſanè difficillimum. Non ergo debuit in generali diſpoſitione illud ſtatui diſcrimen, ſed debuit illa

potius ciues omnes verè tales ſine differentiâ complecti: pro Indis autem alia eſt ratio, quia ferè per accidens contingit vt incolæ ciuitatum ſint, cum ſtudioſè curetur vt ad ſua oppida redcantur, ad quæ iudicantur pertinere. Vnde pro eis iuuat quod de ciue teſtante in rure, fortuito ibi ægrotante, tradunt multi, quos citat Boſſius num. 107. ex quo è conuerſo pro Ruſticis viget argumentum. Iuuat item quod de illis docent Baldus, Imola, & Ripa, ex quibus P. Fragoſus ſuprà §. Secus dicendum. Quod ſi Ruſticus factus teſtamento rure, moriatur in ciuitate, ſed vt aduena, etiam poſt annum, teſtamentum ſuſtinebitur, eò quod non tranſulerit domicilium. Imò etſi tranſerant, tenent Iason, Corneus, & alij, quos adducit & ſequitur Boſſius numer. 30. & ratio pro eo vrget eadem, ex hominum huiusmodi ſimplicitate deſumpta, quæ eos etiam in ciuitatibus comitatur: & quæ ab Imperatore proponitur in Authent. de inſtrum. Caut. & ſide §. Hac autem: & ita tenet Negreiros apud Boſſium num. 108. Ex quo ſit Indos etiam in Hiſpaniâ, in quam aliquando tranſfretare contingit, poſſe modo prædicto teſtari, ſicut etiam in mari. Pro alijs autem priuilegiatis circa hoc in navigatione Indicâ, vt ſunt milites, & in expeditione verſantes, videri poteſt P. Fragoſus num. 109. & 110. ubi hæc habet.

170 Primò milites ſtipendiatos in arcibus Indicis locorum hoſtilium exiſtentes, ad præliandum paratos, priuilegio gaudere, de quo numer. 180. Quod eſt iuri communi conforme per Textus & Auctores apud Boſſium Titulo 11. num. 28.

Secundò non gaudere præſidarios in terris non hoſtilibus, ſed pro illarum quiete conſtitutos, quamuis ſtipendiatos. Sed pauci profectò in Indijs ſunt, qui licet in terris hoſtilibus non ſint, non debeant præſatâ iuris indulgentiâ potiri: ſemper enim hoſtile aliquid timeri poteſt ab exteris aut intraneis, vt neceſſarium ſit quodammodo eſſe in prociuctu. Pro quo D. Petrus Auendannus in Dictionario Hiſpanico verb. Caballeros pag. 176. vbi ait milites regni Nauarræ, Granatæ, Neapolis, & Stationarios Luſitanæ dicto priuilegio gaudere. Et de Stationarijs alijs, vulgò de *guarnicion* idem tenent plures, quos citat & ſequitur Boſſius citato Titulo 11. num. 58.

171 Tertio, qui Viſſyone (idem eſt de alijs Hiſpaniæ portibus) militiæ nomen dederunt, & Regijs expenſis ad Orientalem Indiam nauigant (idem eſt de Occidentali) aut claſſibus vehuntur ob cauſam militiæ, quamdiu nauigant nõ poſſe teſtari iure militari, quamuis animo militandi nauigent. Ex Ægidio Luſitano in L. 1. C. de Sacr. Eccleſ. 2. p. §. 1. n. 7. & 8. Ratio eſſe poteſt quia tales neque in caſtris ſunt, neque in expeditione, ſeu prociuctu, aut proxima diſpoſitione ad prælium; cum tamen Imperator Juſtinianus §. Illis. & §. Sed hæcenus, Inſtit. de militari teſtament. requirat vt in caſtris, aut in expeditione ſint. Naues enim illæ, de quibus citatus ſcriptor, non eos vehunt vt proprios milites; ſed tales alibi futuros. Sicut de ijs, qui à Pontifice, aut alijs Principibus mittuntur Imperatori, aut alijs Dominijs, tenet Merenda apud Boſſium ſuprà numer. 52. ex illis

illis enim ſit poſteâ delectus à Generali Duce, neque enim omnes ſic miſſi indifferenter admittuntur. Quod equidem parum verosimile apparet: nomen enim expeditionis benignius eſt interpretandum: & ſic in expeditione eſſe dicuntur, qui ſe ab omni alia curâ expediunt, & ad præliandum, longis licet itineribus, progrediuntur. Cum etiam in nauigatione ipſa occurrere occaſiones præliandi poſſint; propter quod & milites in nauibus huiusmodi proprii conuehantur. Et ita videtur idem Auctor ſentire, ſubdit enim.

172 Quarto ex eodem Ægidio tamquam indubitabile, Nauarchos & Trierarchos nauium Indicarum, & claſſium, iure poſſe militari teſtari, ſicut & omnes remiges in claſſibus & triremibus, quia cenſentur milites L. vna §. Item Nauarchos D. de honorum poſſeſſ. ex milit. teſtamento. vbi alij legunt Trierarchos Luſitanos item, qui nauibus Indicis præficiuntur duces, & nauim ſcribas, ac nautas, quia & milites reputantur L. ex eo tempore D. de milit. teſtam. quia occupantur in expeditione, cum properent ad bellum ineundum cum hoſtibus. Et idem ait de ijs, qui ſoluunt è portu ad Inſulas expectantur naues ex Indiâ redeuntes, vt præſidio ſuo eas ab hoſtili tueantur claſſe, & tutas in portum reducant. Hæc ille habet priori aſſertioni minimè conſona, bene tamen rationi. Si enim omnes prædicti eò quod ad bellum ineundum tendant, in expeditione eſſe dicuntur, & ideo priuilegio vt militari poſſunt, nequit profectò id ijs negari, de quibus negauit Auctor. Videatur Boſſius ſuprà num. 46. & ſeqq. pro officialibus, remigibus, & alijs. & num. 59. vbi de medico, & Cancellario.

173 Quinto ait cum citato Ægidio eos, qui nauigant ad Indos ſumptibus Regijs animo exercendi mercaturam, licet milites nuncupentur, non poſſe ſine communi ſolemnitate teſtari. Sed eentè ſi ſtipendium accipiant, & omnia obeant iſtilium munia, mercaturæ animus non videtur obſeſſe, quia vtile per inutile non viciatur. Et circa prædicta quidem cum dubium inciderit, & ad Regios iudices fuerit cauſa deleta, ipſi prout bene viſum fuerit, attentis Doctorum ſententijs iudicabunt. Quod autem à me dictum, pro foro poterit conſcientiæ iuuare, vt teſtamenta militum non ſolemnia ſine illius poſſint grauamine ſuſtineri. Pro quibus & alijs hæc ſatis.

S. V.

Alia circa Indos ex miſerabilium perſonarum titulo priuilegia percurruntur.

174 Congerit illa Dom. Solorzano Tomo 2. Lib. 1. Cap. 27. num. 40. & ſeqq. & in Politica pag. 233. Col. 2. ſuntque reſtitutionis in integrum: dolum & fraudem in eis non præſumi: à tutelis, & alijs oneribus ſimilibus excuſari: lites eorum citò, & ſublatis formulis expediendas, pro quo Regia reſcripta extant, & Concilij Limenſis ſecundi admonitio Parte 1. Cap. 140. Venire poſſe contra instrumenta, quæ præſentauerint, & confeſſionem ſui Aduocati in libello factam, non ſolùm in continenti, ſed

quandocumque reuocare, & etiam poſt publicationem teſtium, atque in ſecunda inſtantiâ per eodem articulos, & directè contrarios, nouos producere teſtes: iudicariam contumaciam non committere, Curiaſ calum habere, & à pœnis non confeſſi inuentarij liberari. Sic habet ille cum prædicto alio de non præſtandâ fideiuſſione in Capitulis contra Prætores, de quo §. 1. In quibusdam tamen diuerſæ occurrunt Doctorum ſententiæ, ſed iuxta fauorabiles locutus, vt in caſu Curiaſ poſt lites conteſtationem, quod negat Couarruias Præſidiarum quaſt. Cap. 7. §. Nono, vbi circa finem. Sed tenet Matthæus de Afflictijs apud eundem. Occurrunt etiam apud ipſum doctiſſimum Præſidem alia, quæ in fauorem Indorum poſſunt aduocari, ex quibus ſit

175 Primum, Indum re propriâ per vim ſpoliatum, poſſe cauſam ſuam coram Eccleſiaſtico iudice proſequi, dummodo in laico negligentia adit Cap. 6. §. Immo & in hoc, vbi aliquos adducit ſentientes: idem dicendum etiam non datâ negligentia iudicis ſæcularis, & eſſe aut communem ſententiam Canonistarum; in Hiſpania tamen nequiquam admittendam, ſed reuſu habendum eum, qui eam vellet ad praxim reuocare, quod & de Gallia teſtatur. Sunt etiam aliqui praxim eandem in Hiſpaniâ negantes, etiam datâ negligentia iudicum Regiorum, ex quibus aliquos adducit. D. Felicianus à Vega in Cap. Licet ex ſuſcepto, num. 22. qui tamen num. 23. ſequenti: non ideo reiciendam probat, cum ſit Canonica diſpoſitio, & communi Doctorum ſenſu roborata. Quod autem Scriptores illi, ex quibus aliquos etiam allegat Dom. Solorzano Tomo 2. Lib. 3. Cap. 5. num. 62. dum eam negant, in eo ſenſu fuerint ob non peruiſam ab ipſis, mouere non debet, iuxta citatum D. Felicianum, quia cum iudices Regij in Hiſpaniâ pro reddendâ iuſtitia miſerabilibus perſonis aduigilent, rariffimè accidit vt ad Eccleſiaſticos recurſus habeatur. Quod ille in Indijs ſpecialiter haberi queat, affirmat Bobadilla in Politica Libr. 2. Cap. 17. num. 110. Nec de illis ille loquitur ſed generaliter, ex quo ſit pro illis doctrinam dictam vrgentiùs militare. Modum autem Prælatorum prudentia docebit, ne, dum vnus damno curatur occurrì, multa & grauiora ſequantur.

176 Secundum, Cum Indi contra eos agunt, à quibus ſpoliati, ab eisdem expenſas dandas tenent Auctores apud illum eodem Cap. n. 5. quod ſi fortè in lite ſuccumbant, non eſſe reddenda quæ ex cauſa prædicta acceperint, tenent aliqui apud eundem num. 7. & fauent quæ habet in ſine Capitu. Certè qui bonâ fide accepit, nec factus eſt locupletior, in conſcientiæ foro non eſt obligatus, quod & iudices debebunt obſeruare.

177 Tertium, non poſſe extra proprii domicilij forum trahi, vt in Curiaſ reſpondeant Cap. 7. num. 2. §. Habent præterea. Vbi graue dubium emergit, an id etiam ſtet quando actor eſt ſimiliter priuilegiatus, vt ſi Indus contra Indum agat, Eccleſiaſia (quam eodem priuilegio gaudere probat ibidem. §. Verum de Eccleſia) vidua, pauper, pupillus &c. de quo luculenter agit. n. 45. & 5. diuerſas Auctorum ſententijs adducens, & gene-

raliter concludens non poſſe, ſtante generali regula, de qua in *L. Sed & milites. D. de excuſat. tutor. L. Verum. §. Item queritur. D. de minoribus. §. Sed & hac præſenti in Authent. de Sanctiſſimis Episcopis. Collat. 9.* quod priuilegiatus vti priuilegio nequit contra pariter priuilegiatum. Et in Hiſpaniâ praxi firmatum oſtendit *§. Septimo hæc eadem.*

178. Eſt autem ſatis verofiſſima opinio Matthæi de Afflictiſ in *Conſtitutione Neapolit. Lib. 1. Rubricâ 36. numer. 35.* affirmantis eum, qui priuilegium habet fortiſſimè cauſâ roboratum, poſſe priuilegiatum ex non ita firmâ trahere ad forum Curiale. Quod quidem reſpectu Indorum videtur ſpecialiter obſeruandum, quando illi contra ſuos Gubernatores agunt, à quibus facile opprimi poſſunt, aut etiam à viduis, & pupillis, potentiores habentibus deſenſores. Quod eſt quidem Couarruuiæ doctrinæ conforme *§. Oſtendit, ſi alicuius.* Vbi id generaliter tenet in caſtri, villa, vel ciuitatis communitate, quæ poſſet dominum ad Curiam tribunal adducere, etiamſi priuilegio orphani & minoris, vel ſi femina ſit, iure viduitatis ſe tueri velit, cum tribunal huiusmodi ſit maniſeſtè ſuſpectum. Iuxta quæ quotieſcumque inter litigantes priuilegiatos, eſt, ſi non maniſeſta, probabilis tamen, & non male fundata ſuſpicio, idem prorsus faciendum.

179. Id quod vltèrius poſſet declarari, & comprobari. Nam lex concedens priuilegium fori perſonis dictis, non concedit directè & aperte, niſi cum actores ſunt: *lex inquam vnica C. Quando Imperator inter pupillum & viduam.* Cui lex Regni conſonat. *41. Tit. 18. Part. 3.* & aliæ apud Couarruuiam *ſupra in principio Capituli.* Quando ergo rei ſunt & conuenti, id ex interpretatione Doctorem inualuit, & inde ſit in praxi locum arbitrio relinqui. Et cum priuilegij huiusmodi fundamentum miſeria litigantium ſit, ei potiùs fauendum videtur, in quo maior pro commiſeratione ratio deprehenditur. Qui diſcuſſus pro Indis apprimè facit, quibus illud ex Thomâ à Kempis ritè adaptetur: *Omnes miſerabiles ſumus, ſed neminem te miſerabiliorem (perinde eſt, fragilior) eſſimes.* Vnde doctrinam hanc arbitror ſub grauis peccati reatu à iudicibus practicandam; niſi circumſtantia tales occurrant, quæ in contrarium vrgeant, & ad commiſerationem poſſint maiorem ſincerum iudicantium animum permouere.

180. Quartum, Cauſas Indorum ante omnes alias in Regiis Prætorij tractandas, quæ in Tabulâ habentur deſcriptæ, vt ſuo ordine expediantur. Sic *Cap. 7. numer. 3. §. His accedit:* vbi additur vſu obtentum vt Sabbato cuiuſlibet hebdomadæ cauſæ pauperum & Monafteriorum, quæ pauperibus æquiparantur, omnino examinentur ad earum expeditam diſſinitionem. Quod vltimam ſic fiat!

181. His addo circa priuilegium illud præſato titulo inuaxum, vt ſine fidejuſſione poſſint Indi libellos contra Prætores cum voluerint, ante ſcilicet, aut poſt ſyndicatum, præſentare, de quo Dom. Solorzanus *cit. Cap. 27. numer. 62. & ſeqq. & in Politica pag. 235. & ſequenti, Col. 2. §. Teniſiſma, & ſeqq.* bene ipſum aduertere aliquos Prætoribus inſenſos Indorum vti mini-

ſterio ſolitos, dum eos ad accuſationem impellunt, vt ſic à fidejuſſione præſtandâ liberentur. In quo quidem, ſi accuſatio juſta ſit, & Indi ad falſo teſtificandum neutiquam adigantur, peccatum graue non eſt ex ſe: quidquid de odio mortali ſit, quod abeſſe aliquando poſſeſt, ſed rarè, quia ad huiusmodi expoſtulationes non juſtitia aut pietatis zelus, ſed priuata extimulant ſimilitates. Ex quo quidem obligatio reſtitutionis non oritur, juxta communem Scripturam doctrinam de violatâ tantummodo charitate. Niſi ob acceleratam expoſtulationem ante ſyndicatum tempus, cum res non vrgeret, expenſæ fuerint cumulata: ſic enim juſtitia jam res agitur à talibus violata.

§. VI.

An quæ de Indis dicta, ad Æthiopes debeant extendi. Vbi de Mixtis.

182. SI ſerui ſint, vix eſſe locus dubio poſſeſt, niſi cum de libertate agunt, & tunc, ac quoties tale quid occurrerit, dubitari nequit miſerabiles eſſe perſonas, in quibus miſeria ſumma eſt, carentia ſcilicet libertatis: & ita quæ de Indis dicta ſunt, & illorum ſtatui non repugnant, eis penitus adaptanda. Sunt verò & liberi multi, in quibus non illa, quæ in Indis ſimplicitas, præſertim in viris, ſicut & in feminis apud Hiſpanos natis, pro quibus, & mixtim progenitis, Meſtizis inquam & Mulatis, quos vocant, ex Europæis ſcilicet atque Indis, vel Æthiopibus oriſ.

183. Dico primò. Æthiopes, quicumque illi ſint, miſerabiles ſunt perſonæ, & ita Indis quoad prærogatiuas talium exequandi. Id conſtat, nam eorum eſt ſatis miſeranda conditio, quia pauperes, multorum iniuriis frequenter expoſiti, ac mancipiorum more tractati, vnde in omnibus publicis concuſſibus ſine controuerſa Indis poſtponuntur. Cum ergo, vt ex Cyno, Alberico, & Bartholo habet Couarruuias *citato Cap. 7. §. Ceterum, quia,* iudicis arbitrio relinquatur quæ ſint miſerabiles dicendæ perſonæ, nullus erit qui circa hoc hæſere poſſit, licet ſuis expoſſi nominibus apud Scriptores non inueniantur.

184. Dico ſecundò. Circa Meſtizos & Mulatos, eorum eſt attendendus ſtatus. Si enim Hiſpanorum more agant, neque ſimplices ſint aut pauperes, eorum ſunt etiam more tractandi. Hinc Meſtizij ſub Protectoris curâ non ſunt, cum ſe poſſe ſufficienter regere cenſeant: quamuis aliqui ſint inter Indos nati & educati, qui nihil ab Indis diuerſum præſeferant, eorum etiam more veſtiti, ad quos debet etiam cura ſe Protectoris extendere ſi ipſi velint; nam id fortè reſugient, vt in ſuis contractibus agere liberius poſſint, & domicilium pro libitu commutare. Quod autem de Mulatis dictum, de liberis tantum procedit: ſi enim mancipia ſint, quia ex captiua nati, idem eſt quod de Æthiopibus aſſerendum; quando, etiamſi liberi eſſent, eorum deberet attendi paupertas; quæ quia communiter in prædictis occurrat, juxta eam iudicandum; cum alias paupertatis ex abjecta origine incrementum

§. VII.

An ex præſatis origo puritati ſanguinis obſtet ad officia aliqua, & honorarios titulos requiſita.

186. DE hoc Dom. Solorzanus *citato Cap. 27. numer. 77. & ſeqq. & in Politica Cap. 29. pag. 242. Col. 1. & ſeqq.* vbi in eorum fauorem reſoluit admittendos ad omnia, & ciuilia & ſacra, ſi capacitas ſuppetat, neque Maurorum aut Iudæorum jure cenſendos, atque inter eos nobiles ad Equeſtres Ordines admittendos. Quod ego in Indis rariffimè admitterem: valde enim equeſtrium Ordinum ſplendor decreſceret & contemptui haberetur, eſſetque indecorum nimis equeſtres homines ob ebrietatem ludibrio habitos, quod in talibus poſſet magno cum fundamento, quiſquis eos nouerit, ſuſpicari. Et citatus quidem Auctor de Indorum genere ac Nigrorum promiſcue loquitur; cum tamen circa hoc valde diuerſus ſit in communi æſtimatione conceptus: ex Nigris enim oriundi licet ex eo capite poſſint puritatem habere ſanguinis, quia neque Iudæi, neque Mauri: non tamen nobilitatem, quia ex mancipiis deſcendunt, quorum ante captiuitatem genus probari nobile nullo modo poſſeſt, vnde & ceteris paribus Indigenis poſthabentur.

187. Quia verò in Societate noſtra ſtatutum de puritate dictâ extat in *Congregat. §. Decreto 52. & 53. & in 6. Decreto 28.* obſeruare iuuat eos, qui ex Indorum genere nobiles vulgò habentur, nullum habere inde impedimentum. Sic *citato Decreto 28.* ſecus ſignobiles, vſque ad quintum gradum incluſiue, ex eodem de Tarteris, & aliis ita concludente: intra quos tamen gradus diſpenſare R. P. Generalem poſſe, ibidem habetur. Quod autem in eo Decreto Indica ſit progenies incluſa, ex eo conſtat, quia minime excluſa comperitur. Vbi enim? & quia quando opus eſt, ad eundem R. P. habitus inuenitur pro diſpenſatione reſuſus. Etſi quandoque annuit, nomine diſpenſationis vitur: pro quo eorum epistolâ poterunt conſulere Prouinciales. Si factum aliter aliquando, id certè bonâ fide, quam non ſuffragari, ibidem declaratum. Id quod in Æthiopibus certius multò.

mentum miſeriæ diſcipiatur; licet ſe ſolo non ſufficiat: ſunt namque multi, ſicut & Meſtizij adeò lautè viuentes, & in honore habitî, vt nullus eos miſerabiles reputet, neque in eorum litigiis ad commiſerationem peculiarem miſerabilibus perſonis debitam, moueatur. Et quidem viduas, cum diuites ſint, multi inter miſerabiles perſonas numerandas negant, ſicut & pupillos, vt videri poſſeſt apud Couarruuiam *Cap. 6. citato. §. Primus caſus.* Quis enim miſerabiles dicat diuites, id habentes, quo miſerias poſſint omnes propuſſare? Pecuniam inquam, de qua recens, ſed elegans Poëta:

Me diuina omnipotens, caſa; eſſigiuata, rotunda.

Cujus & Hiſpana verſio illa.

Aquella, ſi bien vendida

Dieſa, que todo lo puede,

Redonda, para que ruede,

Porque ſe abata; burlada.

Quod ſi aliter dicendum, vt apud eundem alij, de quo & *ſupra num. 154.* idè eſt quia in lege ipſa expreſſum, in qua de viduis & pupillis mentio, vnde beneficium hoc non debuit eidem, licet ratio pro ipſis non adeò eſſet vrgens, denegari. In caſu autem noſtro nulla eſt lex, quæ prædictos exprimat, & alioqui ratio non ſuffragatur ipſis: ex quo ſit nullum futurum iudicem, qui vti priuilegiatis fauendum in litigiis arbitretur.

185. Quod ſi forte aliquis ſit, per me certè licebit, & tueri ſe poterit ex eo quod tales Pontificis priuilegiis Indorum ac Æthiopum in ordine ad reſ ſpirituales, ſeu negotia animæ perfruantur, de quo dictum *Titulo 5. numer. 134.* quamquam id non adeò ſolidum ſit: pro extenſione enim præſata ſtat Pontificum expreſſa in quibuſdam declaratio, vnde ad alia ſit verofiſſimis ampliatio. Quod ſecus in iis accidit, de quibus agimus: nullius enim legis, aut peculiaris reſcripti pro eo indultum reperitur. Sed quia ſimile extat aliquid, vt in quibuſdam aliis accidit, poterit tolerari, & pupillos ac viduarum diuitium exemplum adſciſci in fauorem prædictorum.